JOH. LUDOVICI FABRI ... DE RE MEDICA ET CHIRURGICA EPISTOLÆ

Giovanni Ludovico Fabri

Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit
Quin res, aetas, usus semper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat, ut illa quae tu scire credas, nescias,
Et quae tibi putaris prima, in experiundo, ut repudias.

Terent. in Adelph.

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRAESULI

D. IGNATIO RANALDI

EX PATRICIIS MACERATENSIBUS ATQUE URBINAT.

ORATORII DE URBE SODALITII MEMBRO

ARCHYEPISCOPO URBINATI ILLIUSQUE UNIVERSITATIS

CANCELLARIO

JOH. LUDOVICUS DOCTOR FABRI

S. P. D.

Cogitanti mihi, et memoria repetenti, quantam utilitatem hominum societati experientia nullo systematis velamine contecta semper attulerit, minime profecto verendum esset, ne ea, quae in mei medico-chirurgici muneris exercitatione perspexerim ac observarim, in lucem proferrem. At exiguae ingenii mei vires, ac mearum cognitionum tenuitas penitus scribendo deterrerent, nisi haec eadem quantum mihi timoris afferunt, tantum etiam animi adjicerent ad praesidium in Te, amplissime Praesul, quaerendum, ut tutius sub tanto Maecenatis nomine opusculum hoc litteris ac hominum memoriae traderem. Ipse enim ea, qua praeditus es benignitate, me excitare, ac ea humanitate erigere es dignatus, quam mihi non semel et verbis et re significasti.

Sane; cum cunctis eximiisque virtutibus sis ornatus, illius merentissimi gregis divina tibi crediti providentia es delicium. Summus LEO, optimus omnium maximusque Princeps, quem Deus ad populorum, ac Universae Ecclesiae opem diu sospitet, longumque in aevum praestet incolumem, cum summi ponderis munia pietati fideique tuae commiserit, quanti tuis pro meritis te faciat, clare, aperteque declaravit.

Hos igitur Praesul praestantissime labores meos; qualescumque sint, sub tuo tutamine in lucem edam, libentiqne animo me tibi nuncupari sinas, et eum quo carent splendorem consequantur, ac decus amplissimo tuo mutuatum nomine sibi comparare queant; nec quisquam mihi jure succenseat, nec arrogantiae notam mihi inurat.

Quapropter singulari, qua maxime praecaeteris excellis, humanitate hoc et observantiae et obsequii pignus excipias, et grati animi erga te mei monumentum tot tibi pro causis debitum extare patiaris, meque validissimo praesidio tuo tueri pergas. Vale.

Dat Philopotrani Kalendis Maij 1826.

DE FEBRIBUS A SUPPRESSA SUPPURATIONE IN ULCERIBUS.

Ad Nobilem Virum Equitem Viviani Praesi Ordinis Urbini.

EPISTOLA

Neminem esse existimo, qui cum ea quae menti oculisque subjicit natura sub innumeris imaginibus intueatur, tot rerum varietate correptus non obstupescat. Quamquam enim sapientissimi Auctoris omnipotentiam caeca fide admiretur, nihilominus discendi ardor ingenito amore erga nosmetipsos excitatus, legum agnoscendarum totius animantium multitudinis motus dirigentium, quibus inanimantum obtemperat, vehementi nos trahit cupiditate, ac ad indagandum allicit. Hinc studio, sapienti consilio ducto, de hisce atque illis disserit. Talis scientia istiusmodi leges vario cum ordine exponens, et sub oculis objiciens, quaeque homini illi cordi atque in deliciis extat, qui semetipsum, et quae nos circumsepiunt, noscendi desiderio flagrat, physica appellatur. Scientia est haec eximii quam Patres ac Moderatores excoluerunt, nec commendandus satis fuerit unquam ille, vitae qui inter ocia et opes istius se praebeat scientiae cultorem. Tu igitur admirandande, atque amplissime Eques Viviani, Patriae Praesidium, ac scientiarum amator, qui tanto studio quidem in ipsam raperis, cujus ad imas latebras pervectus es, quique tua humanissima haud me dedignatus observantia, tenue quod tibi ostendere existimationis obsequiique pignus audacter aggredior, gratum quaeso acceptumque habeas. Tu

qui rectum pernoscis tramitem, quem natura, ut hominem incolumem tueatur, percurrit, molestum ne tibi sit, si modo, quantum calamitatis oculis objiciat, maligno ubi morbo partes illae affligantur, quae tanto cum studio chirurgica manu ad incolumitatem deducebantur, tibi proferam. Heu quantae philantropi chironis pulcherrima in spe decepti ex oculis prosiliunt lacrimae! Viribus pollens, atque incolumis aegrotantis vultus apparet; et quantum morbosae affectioni spectat, totum cicatricem obducere quam cito gradu videtur: cum seu ab imprudenti amico, vel conjuncto, atque inservientibus, avidis ejus faucibus, diuturno dum morbo jam fessus ipse est, insueta dapes praebetur, seu triste pathema miseri praecordia circumstet, ingentique angorum comprimat mole, sive insalubris aer in miserorum hospitio aliena incuria praedominans, seu varia gravisque tempestas atra superveniat: cuncta aliter se habent, tetra frons, pallentes gaenae, luridis circumsepta coloribus lumina, tenuique luce coruscant; exanimi labia obducta pallore, febris membrorum ipsius artus ungue dilaniat; squallens faedumque vulnus lethali sensim pallore contegitur, viresque tanto morbo confectae miserum, talibus qui temere caussis se credidit, deserunt. Tertium febris nunquam vel unquam fere praetergreditur accessum, quin morbo infelix confectus inevitabilis praeda mortis occumbat.

Patetica en descriptio, quam chirurgici aegrotantis istiusmodi, qui absorbitionis febre conficitur, conditio profert: en quando felicitatis philantropi Chironis apice meliores ipsius spes intercipiuntur, dulcique, quo jam perfrui putabat, solamine caret, atque hu-

jusmodi morbo non minima quamvis remedia juxta varias indicationes fuerint proposita, inanes tamen usquemodo perspecti sunt conatus, atque ideo quantum post varios casus, experientia duce, observarim, me palam facere ingratum non foret.

Antonius Marabini vigesimum secundum circiter aetatis annum explens, villicus Medicinensis in agro Bononiensi, ob igneae ballistae explosionem male affecta manu graviter saucius, ad membri amputationem se subiicere debuit. Hujusmodi operationi nil obstitit, jamque blandissimam vulnus sui speciem praebebat; cum nimiis escis male sanus usus est. Pallidum tabensque vulnus conspexi, primo medicamine tenui soluta sanie fluens; vespera febris apparuit, aegrotum languentem, tantoque morbo oppressum vocatus adii, istiusque discriminis causis perspectis, quamvis tenues et exiles pulsus adtigerim, largam sanguinis emissionem institui, aegrotum purgavi, et amplum hellebori nigri linimen apposui, quod grave intulit partiale spasma, ac truncum subita flogosi correptum tumefecit. Id ubi peractum, destitit febris, ampla in ulcere prodiit suppuratio, ac tali modo locales actiones in ordinem redierunt, quare novam aegrotans vitam recepit, qui sui erroris poenitentia correptus, et periclo in quod irruit edoctus, meis paruit omnimode consiliis, patriosque ad lares incolumis regredi valuit.

Gravi animi pathemate Aloysius Donzelli miles Pisaurensis, annos circiter 24. natus, in hac Urbe praesidiarius, aggressus fuit, dum alto vulnere in sinistra colli parte perpesso ob pilam ex ignea ballista explosam, quod aspectu non insanabile videbatur, in lecto

degebat; cum ipso prae punitionis pavore repente sollicito, copiosa utilisque suppuratio evanescit; gravis diarrhaea miserum invadit, cui toto teterrimorum symptomatum apparatu socia febris facta est. Cum de nulla punitione, cui militaris disciplina subjicere non possit a me certior factus fuerit, apto siphunculo nigri hellebori non minimam immisi decoctionem, repetitas sanguinis emissiones, ac potionis tamarindatae usus praecepi. Vigorem pristinum nimium aestuans localitas recepit, copiosa prodiit inde suppuratio. Tale post gestum febris accessus tertia vice minime apparuit; locales in ordinem se receperunt actiones; atque aegrotans duos post menses militare munus inivit.

Cum Andreas Palpinus villicus hisce in viciniis degens violentam in adolescentiam perpessus esset gonorrheam, quam usque ad virilitatis annos immodice ipsius in artis munere nitens minime curavit, cripta uretrae ipsius mucosa penes caput hordaceum flogosi correpta fuit, uretrae ipsius meatum operuit, quare gravissima successit ischuria. Locale impedimentum nihili faciens, ubi sibi opus mingendi esset, totis viribus enixus uretram prope obstaculum abrupit: lotium sibi viam in obliquam istius scroti cellularem aperit, intumescit scrotum; tumor in cunctas hypograstricas regiones diffunditur, et gangraena ipsius scroti, ac cellularis cuti supra effatae hypograstricae regionis subjectae, potita erat.

Operatione secundum artem instituta, ac tali modo urinis exitu dato, largoque, atque emollienti emplastro adhibito, gangraenae tabem scrotum atque hypogasrium exuerunt, ac viginti quinque post dierum spatio ulcus jam tersum satis bonum praebebat aspe-

ctum: quando cum mihi procul abesse propter urgens negocium peropus esset, Chirurgo tum exercenti patientem meae creditum curae commisi. In exordiis Januarij 1825. horrida cum saevisset hyems, Chirurgo curanti persuasum erat, ut ne levis quidem ventilatio permitti posset: Xenodochium hoc cum in semetipso male constructum, inservientiumque incuria quam minima custodia fotum sit, praeter vescendi intemperantiam, quoddam universale membrorum detrimentum, cibi fastidium, dolorem in cordis scrobiculo, ac febrim Palpinus experiri caepit. Post decem absentiae dies reversus, aegrotum tam misero habitu, atque ulcerationem depascentem nactus, istius discriminis causis perpensis, ad localem hellebori lotionem; linamentis in ulcere appositis tali decoctione madefactis, interiusque ad epicraticam gumiguttae dosim illum subjeci. Tale post medicamen, locales atque universae actiones se in ordinem receperunt atque aegrotus nonaginta curationis diebus expletis, ex Xenodochyo perbelle se habens migravit.

Ex hactenus dictis, quamlibet causam ita dictas absorbitionis febres ferentem universalem plerumque ipersthenicam morbosam actionem inferre noscitur, quae subtraentium, eorumque topicorum usu, quae locale irritamentum inducere valent partialem actionem revocando, quae nonnulla causa evanuerat, tantumodo devinci potest. Quae curandi methodus alia quoque non minima post facta, quae in mea propria praxi prospere contigerunt, inconcussam si modo regulam sancire nequeant, ac minime debeat, repetitae, quas ipse exercens peracturus fuerit, observationes, durante ipsi-

ns chirurgici muneris exercitio persaepe succedentes; id constituere valebunt.

Virium defectus nimia suppuratione, praevenienti emorrhagia, diaetetice diu nimis protractae vectigaliumque inopia productus, corollarium quod post facta quae exposui induci potuit, excludet, et ideo in hujusmodi circumstantiis alia methodus fuerit adhibenda. Plerique morbi in utramque diathesim, et id juxta subjectum et causas prodire queunt, et ideo Chirurgus quidquam curationis recte instituere nequiverit, nisi hunc super axem eo sapienti consilio atque capacitate qua fulcitus esse debet versetur.

Hisce si ex animadversis salutari munere fungens parum juvaminis eruere valuerit, insimulet mei ne animum, qui, ut languenti humanitati prodessem, quidquam studii minime praetermiserim.

Tuque Viviani eques praestantissime, minima haec; quae tibi scribere lubet, excipias, et quem tanti te habet, humanissimo tuo in animo foveas. Vale.

Philoptrani tertio id. Aprilis 1826.

DE COSTULAE EXTRACTIONE

Ad Excellentissimum Doctorem Joannem Berti in Universitate Maceratensi P. P.

EPISTOLA

Mihi assidue admiranti quantum quotidie, clarissime ac praestantissime professor Berti, in languentis humanitatis levamen chirurgico munere geris, quamobrem ars ista tantum tibi debet, et viciniores et absentes tuum opus exoptant, quanti te putem ostendere lubet. Clinicus sum, at hoc munus precipuo meo studio ac lubitu exerceo, istiusque artis amore tantopere sum affectus, quod ipsa talem se praebeat, ut non ideis systematicis ut clinica nitatur, unam quae deserens ducem idest experientiam sano consilio directam, quae ad vera agnoscenda cum perducere valeret, quantum interdiu pene sub oculis ac medico contactu profertur per implicitas vias ad prefixum systema tanto aegrotantium detrimento deducit; nec bene perpensis factis in semetipsis nudis ac separatis, iis desuper ratiocinatur, ac disserit, ea ut remedia instruat, quae ipsum eadem experientia docuisset, quamobrem humanitati magis perniciosum istiusmodi hominum genus existimo, quam qui empyrice deducti nil quod aliis non profuerit efficiunt, nec quidquam suscipiunt nisi pene enixe a natura adacti, ut quam modicis pharmacis perutantur; juxta documentum Hippocraticum „ Id in morbis perpetuo observa, ut si non juves, videas ne saltem noceas „ Quan-

tum optimum consilium erit ac prudenti Medico dignum, quod potius eligatur remedium parum unum juvans, sed nihil alteri nocens, quam valde juvans unum, et nocens aliquantulum alteri: in quam rem docte concludit Santorius „ Medicos qui statim in occasione non urgente multam sanguinis copiam evacuant, vel abunde elective purgant a praeceptis Hippocraticis et Galeni recedere, qui jubent medicos ita tuto procedere, ut non noceant aegris.

At insciens nimium praescripto tramite aberrabam, ut scilicet quantam tui existimationem habeam, ostenderem, chirurgicae operationis hystoriam tibi praeponens, quam ego confeci, quamque ipsius arduitate, atque exitu audire ingratum tibi non fore arbitror, et quam ob causam ad ejusdem operis executionem adactus fuerim: methodum quam expertus sum; felicem exitum quem perspexi. Quae quamquam inani atque incondito sermone sint exarata, humanissimos subeunt oculos tuos, qui ex ipsis, quantum utilitatis inesse possit, deducere valebis; quibusque mea imperitia defuerim, lubenti animo ignosces. Meus sermo tecum fuerit de costulae extractione, quam in quemdam sacerdotem Curianum Paraeciae Butri de Barbiano in agro Cotignolensi, cui nomen Joseph Pucci ex Minoribus Observantibus, annos quinquaginta natum, exegi, cujus habitus biliosus sanguine profluit, de gente Lucensi, qui anno 1816. cnm grave tiphum petecchiale, quod ad lethi limina eum perduxit, quodque absque crisi se dissolvit, perpessus esset, cum ex morbo convalesceret, ingenti flegmonoso tumore anteriori quintae costulae verae parte ac praesertim in loco, ubi haec cartilagine conjungitur, aggressus est,

adeoque gravis extitit, ut socia fuit sibi febris; quae nonnisi confecta supuratione evanuit, quae ad imam incisionem properandam me adegit, nam sanies deprehendebatur abundans, ac tanta, adeoque immodica ejus copia fuit, ut ad duo librae pondera sane quidem ascenderet, ipsiusque odor cariem costulam invasisse ostendebat, quam suspicionem plane perspectam habui, recisionem jam peractam dilatans, imumque ipsius digito explorans, ex quo cunctam exterioris costulae superficiem non tantum, at etiam partem pleurae inhaerentem hoc morbo affectum esse mihi patuit, atque hanc cariem praeter jam detectam costulae partem ulterius maxime in vertebras progredi, atque organicum textile tantopere confecisse, ut aliud praesidii praestari non posse putaverim, quam ex hac costula, quantum simili morbo affectum comperiebatur elicere; juxta illud Ovidii » Immedicabile vulnus ense recidendum, ne pars syncera trahatur: at quomodo post gravem perlatum morbum exhaustis patientis viribus tanto operi se subjicere poterat?

Alia autem ex parte, quae discrimina offendere operator ille potuisset, hunc qui miserum tam durae afflictationi credidisset? Ut vere loquar rem tali modo perpendens ex opere me cohibui, ac tantum corroborantibus atque enutrientibns ipsius vires sustentare sat mihi fuit, ne nimia suppuratione patiens macie tabesceret, ac re quidem vera, quod mihi in votis obtinui, et ubi aeger vires recepit, unum post mensem opus inivi.

Chirurgico strato patiente distento, et quantum cavitatis secus costulam esset, cum amplius scalpello

dilatassem ; duas de tribus ipsius partibus necrosi affectas detexi. Tres lineas procul ex loco, ubi caries inceperat, incolumi costulae parte scalpello detecta, Goulardi acum praesumpsi, et hac in pectus juxta costulam per hyatum permeavi, postquam duplici cerato funiculo illam munissem, quomodo arteriae costis interjectae vulnere factitari solet, atque inde ad inferiorem ipsius partem detuli, ac funiculo arrepto ; arcte adeo costulam devinxi, ut emorrhagiam effugerem, parvam inter laqueum inserens torundam. Tali cum modo emorrhagiam vitaverim, inter costulam ac pleuram alteram acum trajeci, neque incidentem, neque acutam, at planam ac tereti tenacique frustillo istructam in loco ubi pleura ob pregressam suppurationem e costula sejuncta erat, et hoc frustillum adhibui, ut ex illa omnimode separarem, quod convexo scalpello exegi: incidenti hinc forcipe incisivo arrepto partem costulae superiorem jam peracta separanti taenia ab adsistenti sustenta uno ictu recidi, eodemque convexo scalpro cartilagineam costulae partem sternum prope abscidi. Opere confecto siccis vulnus complevi linamentis, quae in loco vulneris contentiva ac leviter comprimenti fasciola cohibui, nec nisi die quarta apparatum abundanti jam suppuratione imbutum removi. Ligamen costulae relaxavi interjectam transferens torundam, et siccis iterum linamentis vulnus contexi: postera autem die cum sanguine intercostalis minime ingemisceret, laqueum amputavi, medicamenque ut prius iteravi, atque ita quinquaginta dierum lapsu, donec tenuis mihi se praebuit suppuratio, rosato unguento linamenta liniens prosequtus sum, ac tali pristinam aegrotans modo est adeptus in

columitatem; ac meo summo cum gaudio elapso jam quadriennio, deficientem costulae partem iterum naturam reformasse conspicere datum.

Imum abscessum cavitati supereminens non datur cui prompta ars non consulat incisione, et id ne facilius in hisce erumpat, ac discrimina gravissima conferat, ut in re quam exposui evenisset, quapropter incisione tantopere opus esse censui, ut languenti quidem ne aegrotantis statu pepercerim, ac tunc temporis opus exegi, cum ima patuerit fluctuatio. At quibus causis tale salutis discrimen tribuendum? Crisis ne in morbi solutione defectui! At in cunctis gravibus acutisque morbis crisis pernecessaria est, sine qua valetudo recuperari nequit? Nostrum usque ad aevum istiusmodi rem inevitabilem clinici, quamquam objectores minime defuerint, considerarunt. Quodque planum exploratumque est, incolumitatem minime recipi, nisi postquam organicas vices morbosa actione perturbatas natura reparaverit, quae ad hanc reparationem sensibiles quosdam modos, quasdam experitur organorum actiones, quae juxta naturales viae regulas, actionis nunquam vi, vel obstaculi remotione quod hanc intercipiebat, inducuntur: quae omnia gravibus acutisque morbis ni consequamur, ni vero haec minime appareant, fere nunquam solvuntur: quibusdam praecipuis pateant circumstantiis, atque ita morbus evanescat, exceptiones quam minime tot, ut ita loquar, saeculorum observationibus constantissimis obesse nequeunt; ac nostra in re quibusnam istiusmodi abscessus causa attribuenda? Parotides, ubi in typhis morbi acumen pene desierit, gangraenae ex decubitu dictae non proprie semper, quibusnam causis

nisi imperfectae gravique crisi tribuantur? Huic causae abscessus, et costarum caries, atque haec e flogosis exitu lata, ceu crisis perpessi morbi defectus non erunt consideranda? Ac quantum meum tenue consilium opinari valet, aliam hujusmodi abscessuum in Pucci operibus causam haud invenire libere fateor; nec veris procul esse reor. Atque in costulae reproductione talia ac tanta de ossibus tam oblongis, quam planis reproductis exempla patent; ut nemo extet qui in dubium id revocet: quod solummodo autem efficitur cum hujusce capita in ossibus oblongis morbo minime perturbantur, et cum aegroti vita talis sit; ut animalem permittat, atque alat vegetationem. Haec autem reparatio in simplicibus ossium fracturis generaliter locum non habet, dummodo ipsorum ossium fragmenta, nt in quibusdam complicatis fracturis, fit non sint elicienda, in quibus callum; (*) et non reproductio consequitur unquam, quomodo partium vegetabilium utriusque trunci conjunctione, quas nova protulit vegetatio istiusmodi non fit anastomosis at callum, quasi obicem natura adposuerit, ne signum ac nota quidem ulla de factis fracturis, ac repululationibus ab ipsa peractis supersit.

Paucula haec habe, Vir excellentissime; sed dictante observatione exscripta. Interea dum tuum erit ex his ea corollaria inferre, quae tibi vero propriora videbuntur devota erga te animi officium accipe. Vale.

Philoptrani Id. Aprilis 1826.

(*) *Fractio igitur est continuitatis solutio, quae quantum ad intentionem primam insanabilis existit, quo vero ad secundam aliquo modo sanabilis est.* - Galenus de solutione continuitatis in osse. -

DE MORBO HEPATICO COMACLI; SIVE DE LÆPRA COMACLENSI.

Ad Illustrissimum ac Reverendissimum Canonicum

Seraphinum Piccini

Rectorem Universitatis Urbini.

EPISTOLA.

Ex quo Luco in AEmilia proficiscenti mihi Pisaurum usque te sors comitem adjunxit, quo in itinere animi tui humanitatem doctrinamque tuam primum noscere mihi contigit; Piccini ornatissime, Canonicorum honos, sacrorumque Concinatorum decus; ita ut eruditissimus quisque summa cum voluptate ad te audiendum conveniat, et Civitates praecipue quae te manibus suis excipere possunt; sibi praeclare actum putent, tenue saltem exinde singularis meae erga te existimationis pignus offerre animo fuit.

Ab amoenis modo te revocantem animum studiis; et paulisper tui muneris opus intermittentem haud

pigeat me audire; dum horrifici foedique morbi qui in Italiae nostrae angulo ad Adriacum littus delituit, oculis tuis historiam subjiciam luctuosissimam. Quid tibi, nilve lubenti animo excipias medicus-chirurgus queat praestare? Ut igitur, nec in me erga te existimationis officium defuisse, nec ullius in me laudis voluntatem desiderari intelligo, hanc tibi epistolam quam gratam acceptamque ut pote summe benevolo fore confido, mittendam censui. Nec tibi iniquum erit si hunc morbum inter tot qui humanum genus afflictant maximum esse predixerim. Est morbus hic Laeprae (*) cujusdam generis satis scilicet abunde inter nos vigens, quem semovere ac prorsus expellere non ardunm existimem. Unus est hic ex teterrimis morbis qui cutis organum torquent, ejusque descriptio in Sacris Litteris refulget, quique, ut ait Doct. Pons, minus humanae existentiae quam ipsius decori ac formis insidias moliri videatur, et magis ad dejectionem quam ad perniciem intendere. Reque autem vera miseris hoc morbo laborantibus exterior dum corporis ambitus ac textile angitur atque conficitur, interiores motus minime perturbantur; immo istiusmodi faedissimi horrentisque morbi sub umbra augeri ac vegetare videntur.

(*) *Questa terribile malattia che ha avuto la cuna sull' ardente suolo dell' Affrica, sulle spiagge del Nilo e del Senegal, non ha ella fatto per così dire il giro del globo?*

Alibert vol. 3. pag. 9. sulle malattie della pelle.

Lacrymabilem prospectum iis spirantibus (a) depictum coloribus, doctus nobis praeceteris Alibert effingit, quibus ipsius opera de morbis cutaneis semper et ubique refulgent, ac parum nihilque dicendum superesset ni species quaedam praecipuis characteribus (b) instructa nonnullas familias Comacli indigenas divexaret; quae species alio sub aspectu ac *morbi* nomine *Hepatici* a vernaculis noscitur.

(a) *Sensit et facies hominum novos omnique aevo priore incognitos non Italiae modo, verum etiam universae prope Europae morbos. - Tanta faeditate, ut quaecumque mors praeferenda esset.*

Plin. Natur. hist. l. 26. cap. 1.

La lebra è la più formidabile delle malattie cutanee; essa ha uno de' primi posti nell' istoria delle malattie del genere umano. I nostri padri la riguardavano come un segno non equivoco della vendetta celeste; il suo nome inspirava l' orrore a tutti i popoli.

Aliber. sulle malattie cutanee. Tom. 3. par. 383. pag. 5.

(b) *Ut tibi perspicere sit datum quam discriminis inter laepras generatim ab auctoribus descriptas ex Comaclensem intersit en quantum de hisce loquntur. - Etmullerus - Marcellus Donatus - Paraeus - Valeriola - Hildanus - Guido Cauliac. - In principio ructus crebriores et molesti, cruditas acida vel nidorosa, alvus obstructa: quibus progressu temporis superveniunt oris et faucium siccitas, sitis intensa, sudor graveolens et foetidus, urina subjugalis, cui juxta Lavinum Lemnium oxidum album saturni injiciatur, haec fundum ejus non petat, sed supernatet; sunt libidinosi; pulsus praeterea frequens est et debilis, respiratio difficilis et foetida, ut in phitisi, dyspnaea et asthmate; vox clangosa et rauca, et interdum aegri per nares quasi videntur loqui. Accedit his in malo confirmato segnities et lassitudo totius corporis, facilis infrigidatio, abditus tactus, remanente tamen motu, ut ut aegri inter-*

Urbs haec in Adriae plagis supra lacum sita est quatuordenis circumsepta vallibus, quae terrae superficiem in 130. millariorum dimensionem in circuitu tenent, miramque ex maritimis acquis copiam ebibunt; ac cessus atque recessus motibus substant: quare assidua in actione permanent, quae natantibus aquaticis plantis aliis in vallibus vegetantibus immunes illas vacuasque tenet, quamobrem coeli salubritas hujusce urbis ab aliis maritimis parum differt.

---

dum pruritum formicarum repentium adinstar percipiant: somnus est gravis cum insomniis turbulentis et incubo, ac si cor eorum claudatur ac comprimatur, imo tandem pusillanimitas quaedam supervenire solet - nunc ad colorem lividum et nigrum vergens, nunc flavescens et ex rubro nigricans - (vide Valeriola l. 6. Enarrat. 5.). *Aeri exposita mox corrugatur, exasperatur et infrigescit cutis; tota apparet unctuosa et acqua ipsius vix haereat; sensim crapescit, rugosa et asperior redditur: furfure nunc purpureo nunc albicante ac si calce incrustata esset, imprimis in facie adspersa videtur, multisque nodositatibus, tuberculis mobilibus et indolentibus, potissimum pone aures, circa frontem, mentum et artus defaedatur, et morphaea impetigine et scabia sicca pertinaci aliisque pustulis afficitur.* - (Vid. Hildanus Epist. 24.) - *Unde etiam continuus, et continuae exinde ortae vigiliae; pruritus, ac si acubus pungantur, aut urtica urens percussi essent, aut vermibus roderentur, laeprosos maxime urget; et dum partes cutaneas unguibus scalpunt paucissima saltem aut nulla materia neque serosa neque purulenta promanat, partesque cutaneae erosae mox exsiccantur, nec crusta quadam obducuntur. Cum his simul observatur capillorum defluvium, superciliorum; pilisque veris interdum parvi lanuginis istar, succedunt; frons est rugosa et tuberosa, aures tensae earumque pinnae tumidae* - (vid. Hildanus l. a.) *supercilia sunt elevata et callosa, et pilis aut destituuntur, aut si evellantur, aliquid cutis et carnis in radice*

Hisce in vallibus praeter Cephalos optimi saporis, Orades, et vulgo » Acquatelle » assidue increscunt feliciusque veniunt Murenae, ac tantopere redundant, ut totam per Italiam et per caeteras quoque plagas venundentur, cupidis delicium faucibus, atque acidula solutione confectae undique venundatum abeunt ac summopere oblectant ac placent.

---

haeret - (Juxta Guidonem de Cauliaco) - *oculi fiunt rotundi rubicundi scintillantes et lachrymantes, qui venas tumidas et intra angulos tubercola grandinosa, aut* (juxta Hildanum) *in angulo majore pelliculam aquirunt. Narium extrema dilatatur, superior pars constringitur et coarctatur, in medio cartilaginis corrosio apparet, una cum ozaenis, faetore, polypo, respiratione per nares interceptione et copiosa sternutatione; nec non palati atque uvulae erosione: labia cum facie pallent, crassa, dura, nigricantia, livida, et fissa comparent; in ore et faucibus hinc inde observantur tubercola flavescentia et sublivida; lingua tumet, nigrescit, finditur, cujus venae inflantur et varicosae evadant cum tubercolis grandinosis et durioribus albis, viridibus, vel lividis: siculi etiam gingivae praeter modum pallent, tument et rubent, asperae et corrosae apparent: saliva maxime est viscida et quasi biliosa: mammae sunt durae et tument cum venis varicosis: artus non solum marcescunt, sed etiam in pedum plantis et digitorum interstitiis, nec non in manibus prope cubitum aliisque artum locis, fissurae et ulcera callosa, praetumida, et ad levissimum contactum cruenta, ut plurimum tamen indolentia, deprehenduntur: manuum musculi, maxime pollicis et indicis consumpti sunt, ipsique manuum ac pedum digiti frigus, et dormitationem et quasi quandam sensus privationem patiuntur: articuli horum sunt nodosi et distorti, ungues vero lividi, nigri, incurvi, et fixi.* - Etmullerus. Tom. 2. Collegium practicum, Membr. 3. de laepra pag. 465.

Comacli coelum udum est, humidaeque domus; in decem vel duodecim romanorum dodrantium altitudinem, quamobrem infimam soli superficiem incolere non valde bonum; et ideo alios dites deserunt in usus: tali sed non modo inopes, qui ibidem morari ac noctu obdormire eorum cum familiis adiguntur.

Ex piscibus (c), et presertim ex Murenis escam hi plerumquae presumunt: quique vallium tuguria humilesque casas colunt, ut ad ipsas incumbant et piscium peragant certo tempore, praedam non alio cibo nisi aquaticis animantibus vescuntur, atque ideo Ichtyophagi vocari queunt. Sanum hoc pabulum eorumque saluti conducit, nam belle se habent, et optimam sui speciem praebent.

Ineunte Novembris Mense anni 1823. factum; ut hujus supradicti Comaclensium morbi noscendi cupiditate ductus illuc me contulerim, et cum praestantissimos dominos Ortali, et Fogli Clinicos illius Urbis Doctores eo de morbo interrogarim atque consuluerim, humanissimis mihi officiosissime modis indulserunt: eorumque juxta fidem historiam necto; partim meo proprio facto comprobatam; nam ad tres miseros hi-

(c) *Frequentior piscium usus in sanguine noxium facit acrimoniae genus, e quo scabies, mutatur epidermis, morbus pedicularis, laepra, scorbutus, ulcera maligna, febres sequntur.* Haller. Tom. 6.

I Greci odierni, i quali hanno molti giorni in cui mangiano solo erbaggi e pesci, sono più soggetti alla lebbra che non gli stessi Turchi, i quali pur mangiano maggior quantità di carne.
Frank. Vol. 5. Pol. med. pag. 37.

šce ex morbis confectos intuendos ac visendos hi Clinici me ducere dignati sunt: quibus de aegrotis in meae narrationis ordine iudicium faciam.

Horrens hic morbus Cinensi (d) Leprae comparatur, cum sit quarumdam ex miseris familiis tantum; (*) Urbe omnimode amota et egentilis vocari potest, at minime contactu inficiens, et ideo ab aliis laeprae generibus differt; nam ab uxore minime saepius in virum trasmittitur atque ita invicem, quamvis una simul degant; dummodo de iisdem miseris non constent familiis, at nati infelices tali connubio geniti hujusmodi morbo subjiciuntur. (e)

Istius pro morbi eventu stabilis non patet aetas; at saepissime fatale tempus pubertas.

Triplici homines robore pollent exteriusque virenti se valetudine praebent: cum protinus levi addominalium viscerum aegritudine preveniente in unum

---

(d) *La lepra che ai nostri giorni si conserva a le Martigues nella Provenza si propaga ancora dai genitori nei figli, e da questi nei nipoti; nè svanisce del tutto nella quarta generazione, nella quale ancor si mostra con alito fetido, denti corrosi, e un certo aspetto giallo-oscuro.* Frank. op. cit.

(*) *Gli è quindi manifesto, che a gran ragione si conghiettura, che un male il quale tormentò con tanta ferocia tutta l' Europa, abbia corrotta la sana costituzione d' intiere famiglie.*

Frank. 12. pag. 43. Poliz. Med.

(e) *Suole la lepra attaccare non solo i solidi e fluidi tutti del corpo umano ma affettare i genitali, e lo stesso sperma in modo, che s' eccita nel leproso un' insaziabile libidine, che lo trasporta al concubito fino negl' ultimi istanti di sua vita senza lasciargli travedere i funesti mali, che egli propaga nella sua prole.*

Frank. Vol. 1. pag. 42. Poliz. Med.

ex cruribus surrepit saepe saepius; ac prodit erysipelas parva quae ubi in labiis quaedam tenues rubentesque erumpant papulae, violaceum confestim subeuntes colorem frequenter evanescit, papularumque inter se forma ac latitudo circiter peponis semen.

Papulae modo magis modo minus praepropere ad amygdali seminis magnitudinem increscunt, subnigrum tantisper inducentes colorem, totumque vultum ac partes capillares, superiores inde atque inferiores artus sensim contegentes: iis quod superest corporis caret, vel nonnisi quaedam obrepunt. Ubi istiusmodi papulae in numerum auctae inter se in contactum venerint, gradatim nigrescunt, crustam veluti irregulari superficie corium efficientes, sub qua tabenti ex cute supposita, acris et exedens sejungitur humor, ac quidquam contingit diruens; quamobrem nares et oculi, capilli ac pili comprehenduntur, phalanges quoque digitorum in manibus ac pedibus, quorum capsulae articulares poenitus correptae, tali exedenti humore evelluntur; et ceu turpi squalent cadavera tabo totum corpus dilabitur, lethumque lento quod ore tam horrenti statu potatur, invocat miser; nec aliis horum infelicium faciem ac membra comparari posse putarem, quam cadaverum reliquiis voraci igne perustis. Febris quae in ultimis gravioribusque hujus morbi periodis illis socia fuit; in extremis horum miserum finibus suam vim adauget, quibus tandem mors tam anxiae ac acerbissimae vitae stamen obtruncat.

Moeror hos qui miseros, morbo adeunte; divexat, et horror quo praesentes perterrentur, et item qui ipsos visendos philantropice se conferunt, tacitos silentesque faciunt, cunctorum ora diffugiunt, eorum-

que se latitant tuguriis; mortemmsui moerorum levamen sollicite anhelantes.

Haec de Comaclensi morbo Medici quos superius nominavi depinxerunt, quod tunc Comacli quisquam non extaret qui hoc morbo conflictatus animam ageret, tres tamen hac tabe affectos perspicere mihi datum; adolescentulum idest vigesimum circiter; duasque puellas, alteram decimum-septimum, et alteram vigesimum secundum suae etatis annum pertingentes. Adolescens atleticis firmisque viribus pollens; puellae vero molli ac tenui corpore constabant: nonnisi parvulae magnitudinis, ut supra in vultu adolescentuli; eruperant papulae, in puellas autem amplius increbuerat morbus.

Squallens earum facies, tumidae nares ac genae; patuli et aperti atque in angulos protracti erant oculi, turgida labia, os papulis maculosum et adeo informe, ut horrenti (f) leonis rictu comparari possent.

Nonnisi pauca, vel nil pene meis sermonibus reponebant; atque ima suspiria lacrimasque effundentes in cubiculi interiora secedentes, repentinum medentis adventum atque aditum erubescebant. Inopes cum essent; quantum mihi fas erat subsidii specimen in ipsas periclitatus; ac ad sui tantum opem eodem me contulisse, sibi difficillime suadere conatus sum. Earum ubi animum subiverim; quantum in iis quae tantopere afflictabantur, fieri poterat; ex ipsis mihi

---

(f) *Ab antiquis etiam Leontiasis dicitur - vel quod laeprosi vultum terribilem, et frontem rugosam Leonum instar aquirunt, vel quod eorum anhelitus excrementi Leonem hujusce escrementa oleant.*

Etmullerus Vol, 2. pag. 465.

intelligere datum; morbum ad cordis scrobiculum praevio angore prodiisse, ac secus epigastricum dexterumque hypocondrium se proferre : appetitum prius imminutum sensim postea effecisse, ut esurientes saepius ciborum aviditate tenerentur, ac majori adolescentula nigram atramque crustam quatuor linearum latitudinis ac sex longitudinis binas papulas simul connexas protulisse, ipsiusque lunares fluxus nunquam destitisse immo satis abunde profluere : obesus, praecipue in jecoris regione et in reliquis; venter, aliis actionibus minime perturbatis. Nulla in primo accessu prurigo, parum vel nihil in secundo stadio, maxima in extremo. Maerentes ac derelictae mortem aegre ac lento gradu incedentem, ut eorum stamen vitae recidat inclamitant : nam quidam cum in pubertate, vel abeunte adolescentia eos morbos corripuerit, necem nonnisi producto aevo subierunt; cum segnis ac tardus morbi delapsus extiterit : tali sed non modo in aliis, super quos cum praecipiti gradu irruiset, quintum aetatis suae lustrum vix explere potuerint.

Juxta exposita inter papulosas turbercolares laepras hunc morbum recensendum esse putarem, qui supramodum gravis ligamina capsulasquae articulares usque ad ipsarum laniatum arripiunt, ac membra a corpore evellunt, quod non minime saepius aliis laepris comune est, et nisi divina ope egentilis reddita fuisset, nostrae huic dulci expavendum esset regioni, quae tali se opertam comperiret morbo, tantam qui lapsis temporibus cladem intulit, cum nostra Europa bellatrix in armis, Orientis finibus peragratis, victrix in patrium coelum redibat : et a vero me alienum non esse arbitror, si Comaclensis laeprae contagium iis

temporibus tribuo: num Urbs illa minus, quam aliae, incolas, praesertim in egenorum vulgo, permutaverit, cui, cum in piscium praeda, quomodo se cibus suppeteret, ex uno in alterum locum migrare neglexit, idem vitae genus, quod comune sibi fuerat, tenens; et ideo eorum in corporibus morbosae habitudines eodem cum semper modo se habuerint, in his hic morbus se cohibuit incolis, eorum dum interim textile; hunc tali morbosae cutaneae infectioni habitum organico nexu servabat: quomodo de aliis praecipuis haereditariis affectionibus, ubi praesertim de cutis perturbatione istiusque organi vitiis agatur, innumera sunt nobis exempla: atque huic tantum nullisque aliis causis istiusmodi morbum tribuendum existimo, quem ex hisce miseris quoque familiis evelli posse confido. Sed varios per annos peritis instructisque Clinicis penitus inspiciendus esset: hisce invicem familiis omnimode sejunctis, iisque Medicis ipsas experimentis tradendo; quae sapiens doctumque consilium ac studium sufficere valeret; et tunc forsan fatales ipsius progressus cohibere funditusque conterere perarduum non foret.

Kalomelani, Stybiorum, sudorifera, et caet. intus; et exterius balnea hydrosulphurea, thermalia, Porrethana, Felsineum prope Renum; Sanctae Agnesiae in territorio Casentino juxta Sapim; Aquae Sanctae in territorio Asculano juxta Truentum; Aponi in Patavino; Luccensia in Hetruriae solo; tot alia quibus italorum tellus abundat idonea forent atque istiusmodi lepras evincere possent, ubi patientes tali curationi in primo morbi adventu crederentur, ac priusquam organum dermoydeum gravissimas subiis-

set perturbationes ; immo organicas ab ipso resolutiones productas. At istiusmodi post laeprae curationis methodum certos de sanitate esse tamen potuerimus? Praeclari aetatis nostrae Periti consilium imitabor, et ut ipse inquam. - Nos nostrum his de rebus, donec certior experientia loquatur ; suspendimus judicium. -

Mali habitus, sensus ac cordis dolor scrubiculo inhaerens aliis quidem cutaneis morbis ante horum revolutionem comune est; ac gravis hypocondrio dextero sensatio nil est aliud, nisi simpatice actionis effectus inter hoc et cutis organum; quamobrem consentienter tam stomachus quam jecur anguntur ; eorumque morboso actionis incremento male afficiuntur. Horum infelicium istius qui morbi victimae ruunt cadaverum sectiones desunt, quod uno intuitu terrorem incutiant maximum, et, quod magis est, intolerabilem tetrumque exhalant odorem, et adeo eorum externa facies est informis ac sordens, ut mors ipsa tam terrificas dejectasque species præ se non ferat.

Quod susceperam perficiendum curavi; jamque ultra epistolae fines praeterivi. Benigno haec corde Tu excipias, mequa inter eos qui tuae existimationis munere et honore perfruuntur, diu quaeso et usque reponas. Vale.

Philoptrani 1. Kalend. Junii.

DE EXTIRPATIONE UTERI

*Ad Dominum Doct. Aloysium Equitem Angeli Imolensem
Hippocraticae atque Obstetriciae Artis Professorem Apprime Praestantissimum S. M. Pii Papae VII. Archyatrum Honorarium ac complurium Accademiarum Socium.*

EPISTOLA

Me multis ab hinc annis tuae necessitudinis jucundissima devinctum consuetudine, chirurgica scientia a te humaniter instructum fuisse, ac luce tua consilioque arduum Peoniae artis tramitem quem dudum percurro te mihi aperuisse fateor. In harum artium exercitatione tu mihi per benigne suppeditasti libros, quibus aegram levare et jacentem erigere humanitatem possem, dumque tibi aderam, dum Mordanensium medicinae praeses eram; in tua bibliotheca praestantissimis operibus repertissima, aevum te studiis non cohibnisse; ac Clinico maximeque Chirurgo; super auctorum libros largo cum sudore elaborandum peropus esse mihi ostendere tibi libuit, tantusque est amor erga me, ut tuas res mea cum assertione convalidare volueris; tum praecipuae, cum de inmodico emittendi sanguinis usu agens, animum ad opem homini ferendam intendisti, certa ac minime dubia facta publice promens, quibus a praecipiti sanguinis emissione Clinici essent cohibendi, quasi cursum morbis necessario peragendum ipsi coercere prae-

sumerent ; quamobrem aegrotantes deplorabili macie conficiuntnr diutissime segniusque convalescunt, secundariis ac recidivis morbis obnoxii fiunt, prout tuo in opusculo peritissime patet, quodque ego experientia usuque doctus, ac tot alii munus hoc exercentes, si vera fateri velint, minime confirmare nequeunt;

Medico quod ipse confecisti Galateo, quot aureis Juniorem Clinicum non instruxisti documentis; cui aegrotantis lectus adeundus, cui cum collegis conversandum, cui in societate veluti tutori degendum omniumque saluti, ceu miserae ac morbo laborantis humanitatis levamini praesidendum? Ipse Summorum omnium qui hoc pertractarunt opera enixe ponderasti, eaque praecepta exposuisti quae maxima necessaria longaeva tibi ostendit experientia.

Tu qui modo decimum pertingis octavum tuae aetatis lustrum, cuique floridae valetudinis optimus hominum Sator invidendum munus impertitur, iis quibus fulges virtutibus praemium, quibusque pro meritis benedictiones cnnctae in te tenerosque nepotes ex aethere defluunt, quos tuus filius Medicus superstes praestantissimus immaturo funere raptus, tuae curae credidit; tenuissimum quaeso quod offero necessitudinis pignus lubenti animo excipias.

Quod tibi offero expositio est rei chirurgicae hic Philoptrani per me gestae in quamdam Baleani Mariam totali uteri irreducibilis subversione affectam, quo morbo ut eam praeservarem, ad hujus visceris amputationem praesto fui.

Sanguineo haéc mulier constat corporis habitu; quinquagesimum aetatis suae annum peregit, menstruans tamen, et octo natorum parens extitit, quibus in lu-

cem edendis numquam quidquam discriminis passa; semperque incolumitate virenti floruit, dummodo excipiantur menorrhagya non maxime gravis quindeno quoque die refluens, qua jam inde ab unius anni spatio haec mulier laborabat, viribusque enervem, rusticisque muneribus ineptam reddiderat.

Quidam intercesserat dies, ex quibus menorrhaggicus hic fluxus contigerat, cum repente levi in emittendis urinis conatu crepitum sensit, et hinc ad pudendas prodiit corpus durum atque consistens tactuque dolens. Subito pavore correpta ad se obstetricem vocat, quae uteri subversione cognita omnemodum experta, ut uterum suum in locum reduceret, at suos conatus inanes cernens, honorarium arcessivit Chirurgum. Ubi hic advenit aegrotam febri laborantem; uterum iteratis inanibusque obstetricis conatibus vexatum comperit, quamobrem ea pars gravissima flogosi conficiebatur, imumque ipsius horrenti gangraenae tabe torpebat. Iteratim sanguine emisso, aegrotantem dieteticae curae rigide subjecit, at frustra nam gangraena mirum grassabatur in modum. Cum res ita se haberet, ipse vocatus adfui, et ubi patientis angustiam gravissimamque localitatem conspexi, Faivre et Windsor vestigia premere institui uteri amputationem conficiens, quod opus ligamento et recisione partis exegi.

Patientem supino ore positam constitui; craribusque dilatis, sinistraque manu in vaginam immissa, utero enixe arrepto ipsum tereti cum fasciola circumdedi nodoque perstrinxi, ac hujus fasciolae capita Lavinio Zanonio Chirurgo juveni meo operi adsistenti (chirurgicam artem praecipuo quodam studio at-

que industria navanti ; quemque humana societas sibi summopere proficuum ejus in arte erit jam jam periclitatura) credidi , qui leniter ac sensim ad se uterum trahens , effecit ut ipsius collum sub oculis haberem , quod in medio acu ancipiti cerato filo duplici colore instructo transfixi . Vulnus pauxillo sanguinis pondere ingemuit , quo leviter cum spongia absterso , uteri collum in duas partes devinxi , filorum colorem spectans , ne in ligamento deciperer , chirurgico laqueo colli partes adnectens quae inter ansas comperiebantur . Tali modo districtum , uno cum scalpelli ictu , uterum et colli partem amputavi , et quod ipsius colli reliquum erat in naturalem locum reponens peracti nexus capita dextero patientis cruri commendavi .

Expleta operatione immisi in vaginam linamenta sicca , et altius ita ut vulneratas partes contingerent , hisque tota vagina expleta a meo adsistente cum pannis , et fascia supra vulvam decussata confectum est idoneum contegumentum : rigidam inde dietam , duasque sanguinis emissiones uno librae pondere pro qualibet praescripsi , illico priori peracta , vespere secunda . Toto quatuor dierum decursu , primo qui medicamini post per actum opus praeiverant , symptomata , quibus nihil discriminis mihi esset verendum , minime prodierunt ; febrisque qua patiens torquebatur tertiam post diem evanuit , quare unicis linamentis unguento rosato illitis , et hordei decocti injectionibus bis quoque die repetitis expedita fuit curatio , et mulier in quam opus peregi belle se habuit , ac die quarta Decembris elapsi jam anni , quadraginta diebus post

opus confectum transactis incolumis abiit; domumque suam rediit.

Uteri amputationem seu recisionem ob hujus visceris subversionem, ut in facto quod exposui perpauci confecerunt, Vieusseus, Rousset, et Faivre de quo loquitur Monteggia, et Windsor tale opus sunt exequti, et hic ultimus anno 1817. in quamdam Henrichettam Barovick uterum devinciens, ligamenque intermisse perstringens, et duplicem canulam Desault non adhibens, quamobrem uterum et vaginae partem ad se trahere opus fuit, quoties laqueum perstringere debuit, quod quantae jacturae patienti fuerit gravia, quae deinde apparuerunt symptomata, idemque Windsor ad recidendam eam visceris partem adactus; quam ligamen ipsum nonnisi leviter inciderat, praeter curae diuturnitatem satis nimiumque demonstrat. Quae omnia methodo per me adhibita e medio sublata sunt; eaque incongrua evitari posse censeo quoties pars uteri tabenti ulcere affecti sit amputanda ejusdem methodi usu; quam Coster et alii praecipiunt; ut tanti ponderis operatio agenti chirurgo perfici possit, dummodo tamen flogosis localis est scirrhomae et carcinomae socia; cujus exitus est istius morbi progressus; et praecipuo organico habitu causa localis fuit, quomodo in comentariolo ad hoc spectanti clare aperteque ostendam; modificationem quoque proferens istrumentorum; quorum ad scirrhomae et carcinomae morbum in ore atque collo uteri extirpandum opus est; quod patentibus factis, una tantum experientia duce convalidare exopto; ut quodlibet obstaculum ac discrimen effugiam.

Obsecro te, mi venerande Clinice periteque Chiron; quantum offero benigno animo excipias, mei sis usque memor, nec unquam qui te amantissime ac studiosissime colit e pectore deleas. Vale.

Vive diu mi care Senex! Pete sydera sero:
Est opus hoc terris: Te quoque velle decet.

Tril.

Philoptrani sexto Kalend. Aprilis 1826.

IMPRIMATUR

CAROLUS PHILESIUS EPISCOPUS PERUSINUS

IMPRIMATUR

FR. JOANNES ANDREAS LUVISI INQ. GEN. PERUSIAE

VISTO

DA NOI DELEG. APOST. DI PERUGIA

ADRIANO FIESCHI